

Yd
2097



II, 86

186



II, 86.





Ve.

Lo



ORATIO

DE

INAUGURATIONE
S. ÆDIS MAURITIOBURGICÆ,

IN ILLUSTRIS ELECTORALI AD ALBIM
ACADEMIA,

IPSO INAUGURATIONIS DIE, QVI
DIVO JOHANNI SACER ERAT,

SOLENNI RITU
IN ACROTERIO MAJORE
HABITA,

JOHANNES GEORGIO *Sahnen!*
DRESDENSI.

ANNO EP. CH. M. DC. LXXIII.



Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr. +

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOHANNI GEOR-
GIO SECUNDO,

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MON-
TIUMQUE DUCI,

SACRI ROM. IMP. ARCHIMARESCHALLO
ATQUE ELECTORI,

LANDGRAVIO THURINGIÆ,

MARCHIONI MISNIÆ

ET UTRIUSQUE LUSATIÆ,

BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI,

COMITI MARGÆ ET RAVENSBERGÆ,

DOMINO RAVENSTEINII,

&c. &c. &c.

PATRI PATRIÆ

RELIGIOSO, MAGNIFICO, FELICI :



UT ET

SERENISSIMO ILLUSTRISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO


DN. JOHANNI GEOR-
GIO TERTIO,

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ATQVE
MONTIUM DUCI, ELECTORALIS EMI-
NENTIÆ HÆREDI, LANDGRAVIO THU-
RINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, ET UTRI-
USQVE LUSATIÆ, COMITI DE MARCA
ET RAVENSBERG, DOMINO
IN RAVENSTEIN,

&c. &c. &c.

FORTI, MAGNANIMO, INCLUTO:

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS,



HANC.

QVAM.

PIETAS. JUSSIT.
OBSEQUIUM. EXEGIT.

O R A T I O N E M.

DE.

INAUGVRATIONE. S. ÆDIS.
MAURITIOBURGICÆ.

PLENUS. PRECUM.
PLENUS. VOTORUM.

UT.

ILLUSTRIS. SAXONUM. GLORIA.
SINGULARIS. IN. DEUM. ZELUS.
INCOMPARABILIS. ERGA. SUOS. GRATIA.

AC.

QVOD. OMNIUM. MAXIMUM. EST.
AUGUSTA.

PATRIÆ. NOSTRÆ. PATRIS.
PRINCIPUMQVE.

QVIN.

TOTIUS. SERENISSIMÆ. FAMILIÆ.
VITA. ET. FELICITAS.
INTEMERATO. VIGORE.

SINE. FINE.
SE. EXTENDAT.

DEVOTISSIMO. SUBMISSISSIMÆ. MENTIS. AFFECTU.

SACRAM. ESSE. VULT.

HUMILLIMUS. SERVULUS.

A U T O R.

RECTOR
ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS,

ILHELMUS
LEISERUS,

JURIUM DOCT. ET PROF. PUBL. CURIÆ
ELECTORAL. SCABINATUS ET FACULT.
JURID. ASSESSOR,

CIVIBUS ACADEMICIS

S. P. D.



*H*estus perendinus dies, qui JOHANNI sacer dicatusque est, memoriam solennissime inaugurationis novæ Ædis, MAURITIOBURGI, faberrimo splendidissimoque opere exstructæ, ac superiori anno proximo non ridiculis papalibus, sed verè divinis ritibus initiatæ, nobis refert. Statuerat nimirum in honorem sacrosancti Numinis, cujus in terris regionibusque suis vicem gerit, Religiosissimus ELECTOR Princeps JOHANNES GEORGIUS II. eo maximè in loco, qui ab incomparabili Orthodoxie Lutheranae vindice MAURITIO, Septemviralis eminentiæ primo in familiâ Augustali hæc Saxonica, denominatus est, moliri templum, erigere aras atque apparatus, amplificandæ gloriæ cœlesti monumenta debita. Jamque ante annos propemodùm XII. cum jacerentur fundamenta, angulare saxum ipse posuit, magnificaque pompâ aulicâ condecoravit actum. Noverat hoc Stator Serenissimus, eadem fecisse dudum Augustissimos piissimosque Cesares CONSTANTINUM M. JUSTINIANUM, CAROLUM M. OTTONEM I. aliosque, ut non minori sollicitudine Ecclesiastica, quam civilia moderarentur ipsi, ipsi manum admovent, adessent simul & præessent sacris omnibus Episcopi supremi,

A nulli

nulli idolo Romanensi temerè obnoxii. Noverit (immò novit accuratè,) Magnificentissimus Octovir, nullas uspiam locari meliùs impensas & largitiones, quàm quæ in Ecclesias & scholas, Academias inprimis, (unde omnis in omne genus vitæ salus atque gloria redundat,) erogantur. Quid erit enim denique Respublica, si corporis hujus venæ, in quibus elaboratur sanguis & emittitur in partes quasvis, inciduntur penitus, & ab Harpyis istis nervi rerum subtrahuntur? sed illud jam non agimus. Hoc potiùs significandum, ex occasione memorabilis exempli, pietate, quâ PATRI PATRIÆ obstrictum singulari se intelligit, permotum Ornatisimum Juvenem JOHANNEM GEORGIUM HAHNIUM, Dresdensem, ut in SERENISSIMÆ ELECTORALIS DOMUS SAXONICÆ, inprimis verò Potentissimi PRINCIPIS ac DOMINI, DN. JOHANNIS GEORGII II S. I. R. ARCHIMARESCHALLI & OCTOVIRI AUGUSTI, Nutritii Optimi Maximi quæ nostræ laudem, conscripserit Orationem doctam & probabilem, quæ, veniâ à Nobis ritè impetratâ, ceremoniâ solenni ad perendinæ prædictæ lucis horam II. pomeridianam, in Auditorio majore recitabit ex memoria. Vehendus omni plausu encomiastæ hujus nobilis conatus; eò maxime, quò dignius & cum publico conjunctum magis tractaturus argumentum est. Adeste igitur ad idem tempus, CIVES ACADEMICI, & quantoperè præcones virtutum illustrissimarum istiusmodi colatis, præsentiam & benevolentiam proluxiori comprobate. P. P. Dominicâ IV.

post TRINITAT. Anno recuperatæ gratiæ
cl^o l^oc LXXIII.



Sub



SUB AUSPICIIS SANCTÆ TRIADOS!

RECTOR MAGNIFICE,
VIRI

Maximè Reverendi, Nobilissimi, Consultissimi, Experientis-
simi, Excellentissimi, atque Clarissimi, PATRES
ACADEMIÆ Conscripti,

Tuq; Florentissima, in laudem pariter ac decus
Patriæ nata Studiosorum Corona:



Esta multa & magnifica ad
solennis lucis hodiernæ spe-
ctantia celebritatem argumē-
ta simul offerunt se universa
mihi, A.O.O.H. ut, quid prio-
re, quid secundo loco debeam
afferre, quid præferre cœteris, omninò pendeã
animi, ac dicendorum copiã obruar. Possẽm
etenim nunc Divi JOHANNIS GEOR-
GII I. cui sacer in fastis hic dies est, laudes vir-
tutesq; recitare, &, quis quantusq; fuerit pa-
ce belloq; HEROS, devotã quadam animi æ-
stimatione exponere in præsens. Possẽm ELE-
CTORI nostro Potentissimo de FESTO ONO-
MASTICO, felici fidere revolutò, solenniter con-
gratulari. Haberem etiam pro Serenissimis
ELECTORATÛS SAXONICI HÆREDIBUS,
JOHANNE GEORGIO III. & IV. totaq;
adeò

adeò Augustissima DOMO SAXONICA devotè
nuncupandi vota, uberrimam materiem. Cùm
à Viris tamen prudentissimis Eloquentissimisque;
aliis, (cum quibus nullâ ego comparandus par-
te sum) præstitum id pridem fuerit, aliud, quod
& tempori præsentis, & studiis meis congruum
videtur, suscipiendum duxi. Annus est, AUDI-
TORES, divina gratiâ favente hodiè elapsus, quò
Religiosissimus ELECTOR PRINCEPS
Templū, quod MAURITIOBURGI novis-
simè exstruxit, ceremoniis solennibus piisque,
Christianum Orthodoxumque Principem de-
centibus, more Veterum inauguravit. Hujus
memoriam cùm dies hodiernus referat, libuit
pietate & obsequio religioso pauca verba face-
re. Mirentur alii regiones exteras, plenisque,
quæ digna notatu occurrerunt, decantare buc-
cis soleant; Trahantur alii antiquarum & olim
clararum in monumentis urbium locorumve
famâ, quorum tamen vix hodiè superfit nomen:
Ego potiùs vicinum Patriæ dulcissimæ Tem-
plum splendidissimum encomiis ornabo. Ante
tot secula Ephesinum Dianæ, Ægyptiacum,
Serapidis, aliaque gentilium profanissimarum e-
versa fana & diruta sunt, ubique nihilominus
eorum adhuc sumus memores. Quid? si tantus
nobis in exteris & gentilibus est amor, turpe mi-
hi foret, tam sacram, tam elegantem consum-
mataeque artis Ædem premere silentio, ignora-
re turpius. Quare quod libuit semel, effectui
dare

dare pietatis studio adnitar. Magnum quidem opus molior, à quo deterrere plurima me potuissent, ipsius rei excellentia ac amplitudo, infacundia deinde mea & in declamando imperitia, ætas denique & confessus tantorum Virorum, ubi nil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, & perpolitum elegantiarum flosculis proferri debet. Etenim si Demosthenes, Græcorum olim eloquentissimus Orator, apud Philippum Macedoniae Regem declamaturus, in ipso statim limine ac primo aditu, obstupefactus, ut videtur, ad conspectum tanti Regis, obmutuisse fertur; Quid mihi, AUDITORES, tandem animi relictum esse putabitis, qui nihil magnum & præclarum polliceri mihi aliisve possum, apud eos tamen differere constituerim, ad quos cum oculorum aciem converto, toties confessum Virorum eruditione principum intueri mihi videor? Verum quamvis singula hæc mecum merito expendere, animū tamen non abjeci penitus, sed audentem potius ita me fecit erexitque pietas, ut nil tam arduum, tam difficile, tamque grave excogitari ullâ ratione modoque possit, quod ad Templi nostri splendorem dignitatemque pertinere videbitur, quin illud omni reverentia, omni studio, omni denique industria protinus aggredi ac exequi, impar licet viribus, contendam. Sublevabit me mirum quantum Vestra, **RECTOR MAGNIFICE AUDITORESQUE** Venerandi, humanitas

B

nitias

nitas ac benevolentia, quam, antequam ulterius
progredior, enixissimè & quantâ animi submis-
sione queo, expeto atque obtestor, spe plenus,
Vos eandem haud fore mihi denegaturos.

Circumspicienti mihi paullo curiosius,
quid rerum olim in Germania, si Religionem
Numinis attendas, gestum fuerit, tristis atq; mi-
seranda facies in terris etiam Saxonibus occur-
rit. DEUM immortalem! quantus cœlestis
veritatis & doctrinæ squalor inductus? quàm
infelicissimis tenebris imersa penitus, & quadã
veluti obscœnâ nocte sana condita religio erat!
Quàm absurdissima divini cultûs ratio! Quàm
barbara & infausta nomina deorum! Crodo vi-
delicet, nec non Irmensula à Saxonibus, ut à vi-
cinis Vandalis Juterbuch, Zcernebuch & Tri-
glas, à Rugianis Svantovitus adorabantur.
Et quis infamia omnia profanissimarum gentiũ
enumeret de astra? Verùm sicut amœnissimum
Solis jubar caligines noctium dissipat, & terras
simul recreat splendore: Ita evanescebant tan-
dem, mentibusque miserorum subducebant se
illicò hæ tenebræ, simul clementiæ ac benigni-
tatis divinæ lux affulgere illis cœpit. Excitaba-
tur quippe divinis auspiciis CAROLUS
ille, quem propter gestarum rerum gloriam, &
ingentia fortitudinis miracula MAGNUM
meritò cognominamus, ut WITTEKIN-
DUM

DUM, WITTEKINDUM, inquam, Saxonū
Angrivariorum sive Regem, sive Ducem olim
ob virtutem & prudentiā bellicam multò cele-
berrimum, ex infidelium tenebris eriperet, e-
reptumq; traduceret ad Sacra Christiana. Suc-
cedebat res prosperè: damnabat meliora do-
ctus incredibili insigniqve pietatis argumento
idololatriam WITTEKINDUS: multi Regis
ad exemplum, relicta Ethnicorum superstitio-
ne, Christo nomen dabant & profitebantur. O
metamorphosin felicissimam! ò initium felici-
tatis securæ exoptatissimum! Jacto hâc ra-
tione feliciter Religionis fundamento, radices
altiùs agebat postmodum, majoresque eundo
acquirebat vires veritas cœlestis, quæ diu ha-
ctenus luctata cum tenebris, & undiqve oppu-
gnata fuerat acerrimè. Exscindebantur luci
de astris olim dicati: destruebantur idola, & cū
idolis cultus absurdissimus: exstruebantur
contrà ad docendum veri Numinis mysteria æ-
des sacræ, & quicquid propagandæ veritati vi-
debatur idoneum, curabatur maximè. Effe-
ctum inde est, ut Sacra Christiana, ut mille alia
ad gloriā & admirationem nominis Teutonici
spectantia in has oras patrias inveherentur at-
que commigrarent. Nunquam illustriora mi-
racula Saxonix oculos occupavêre: attonitis
passim incolis, & modum gaudii, modum spei
etiam quærentibus. Mirabatur Germania fer-
vorem pietatis in Saxonibus, cū pertinacem

idolorū cultum magno doloris sensū damnavissent. Parabant jam tunc fata grandius præludium, quod per aliquot secula post apertissime in Luthero, Ecclesiastico Heroë, impetu divino erumpebat, ut convinceretur errorum immanissimorum superstitionibus infecta Roma, majestatemq; suam inter Saxones Myfosq; fingeret. Indulsiit ergò seculis labentibus felicitatem hanc Omnipotens, ut excitaret **PRINCIPES SAXONIÆ**, qui pro Religione atque literis, potentiore manu, indefessisque curis steterunt, vigilârunt, & ut promoveretur, laborârunt cupidè. Laboris infiniti & prolixi temporis negotiū hoc foret, explicare omnia, & ab initio inde ad nostra usque tempora deducere. Compendii igitur facienda Oratio est, & sicut augusta ac sancta, cum ingrediendi ac assidendi facultas haud est, veneramur & præterimus, ita sub religiosæ salutationis honore, veluti antiqva illa ac remota prætervectis, ad propiora festinandum. Provocamus ad invictum Heroa, **FRIDERICUM**, qui à virtute bellicâ cognomen indeptus Bellicosi est. Nonne hic fuit, qui Academiã Lipsiensium inclytam ex Pragensibus ruinis primus omnium fundavit, fundatam firmavit, firmatam deniq; magnificentissimis instruxit privilegiis? Non solâ scilicet armorum rerumqve gestarum gloriâ contentus, per literas, per studiorum officinas quærebat nominis immortalitatē apud poster-

stros. O egregium dignumque tanto Principe
(qui primus in Illustrissimam **MARCHIO-**
NUM MISNIÆ Familiam sacrum Imperii
ensem intulit) conatum ! ô laudem nullô teme-
rè silendam ævô ! ô dignissimum annalibus æ-
ternis factum ! Adverterent huc vellem delica-
tuli oculos auresque, quibus odio, quibus dede-
cori, quibus fastidio videtur literarum studium,
& quanta dignitas, quantus splendor harum sit,
addiscerent simul ! Quid enim indignius, quid ve-
turpius, quàm pietatis, morum, atque sapientiæ
professionem damnari sæpius à purpura, rele-
gariq; ad Scholas tantùm, ac pullatam turbam ?
ô Te felicem itaque Principem, qui ex literis, ex
pietate laudes promereri voluisti ! Quid de **FRI-**
DERICO III. Sapientis cognomine insigni
dicam ? Quis est etenim, qui hanc studiorum li-
terarumque almam Nutricem, Academiam in-
telligo, solenni ritu anno, supra sesquimillesi-
mũ, secundo, duodevigesimo Octobris die, ex-
struxit ? Nonne **FRIDERICUS** Sapiens ?
Quis est, qui Lutheri studiò ac ministerio, pri-
mus divinæ veritatis radios in universum orbẽ
diffudit ? Nonne **FRIDERICUS** Sapiens ?
Quis est, qui divinissimum Doctore Martinum
Lutherum, (cum diris illum devovisset ultimis
Capitolinus ille ex imaginatione Jupiter, &
quovis modò tollendum de medio statueret pa-
riter atq; ediceret) modis omnibus asseruit, pru-
dentiq; simul ac salutari moderamine in Wart-
C bur-

burgensem arcem abdidit? Nonne FRIDERICUS Sapiens? Injuriæ maximè in manes beatissimos esse mus, si tanta in Rempublicam Christianam collata beneficia elogiis fraudaremus suis! His, his enim præ reliquis statuæ erigendæ sunt, qui pietatis cultores, Oraculorum divinorum Vindices, Scholarumque ac literarum Nutritii extiterunt fortes & felices. Laudent Ægyptios veteres, quod Heliopoli instituerint auctoritate ac permissu Regis sui Academiam, Scriptores: evehant iidem Persarum gentem, quod Reges suos, à prima statim pueritia, quod tempus omnium capacissimum disciplinarum est, Viris doctrinam longoque rerum usu exercitissimis tradiderint, qui animos illorum præceptis utilibus componerent, disciplinisque pulcherrimis exornarent: Admirentur CAROLUM M. quod passim Scholas Juventutis studiosæ gratiam excitaverit. Haut minor profectò gloria manebit FRIDERICUM nostrum, de cujus pietate atque divinis meritis plena testimoniorum monumenta passim prostant. Quò nunc commemorem elogio JOHANNEM, Augustissimum FRIDERICI Sipientis Fratrem? Qui quàm constantiam, quo intrepido fervore, quàm animi magnitudine Augustæ Vindelicorum divinam asseruerit veritatem, quotusquisque est, qui non intelligat? Adeò enim inhærebat doctrinæ cœlesti, ut minis nullis, nullis precibus se pateatur avocari, pectore imperterrito asseverans:

NON

non minùs carere se Oraculis divinis, quàm
quotidiano cibo potuque posse. Et ut univer-
sis, quàm immutabilis esset, liquidò constaret,
fidei Evangelicæ formam Confessionemque,
paucorum Principum Orthodoxorum suffragio
stipatus, publicè præsentibus Imperatore CA-
ROLO, Rege FERDINANDO Fratrem, &
cæteris Imperii Proceribus nec non Legatis,
magno numero confluentibus, exhibuit scripto
pariter & voce. O inauditum magnanimita-
tis exemplum! ô ardorem entheum! ô incredi-
bilem constantiam! Eat in omnis ævi memo-
rias tam illustre facinus, & longè venturos po-
steros doceat invictissimum JOHANNIS no-
stri animum. Hæc enim re profectò nihil aliud
multis seculis accidit, quod aut admirabilius,
aut omnium temporum comendari memoriæ
dignius videretur. Nec præterierim hæc JO-
HANNEM FRIDERICUM, dignum
Magno Patre Filium, qui, præterquàm quòd
beneficiis Academiæ Wittebergenfi exhibitis
immortale sortitus sit nomen, uno eo tamen
omnes animi ingentis numeros implevit, quòd
vitam & Electoralem dignitatem regiones-
que, pro conservanda Religione Orthodoxa
ad Mülbergam, Misniæ oppidum, exposuit pe-
riculo. Hic est ille JOHANNES FRIDE-
RICUS, qui Librum interimisticum (uti appel-
labant) mysteria pessima complexum, admira-
bili erga Deum & veritatis professionem amore

recipere ac probare noluit. Hic est ille, qui Smalcaldiae Synodum indixit, nullum alium in finem, quam ut de componendo Religionis diffidio consultaretur. Sed quam inauspicata fata expertus PRINCEPS Religiosissimus est! dum capitur, cum in bellum lites prorupissent, & Eminentiam Electoralem praepotenti CAROLO privatur. Liberatus tandem a Successore Magnanimo MAURITIO, Agnato, postquam toto quinquennio captivus detentus fuisset. Quam acerrimus autem hic MAURITIUS, primus videlicet ex altera hac familia ELECTOR, verae Religionis Vindex extiterit, testantur publici Annales. Hic ille MAURITIUS est, qui non quievit ante, quam felici futurorum omine Passaviensem Pacem sacram procuraret. MAURITIUS est, qui pro Orthodoxorum incolumitate arma cepit, & circumtulit Victricia. MAURITIUS est, qui pro veri Dei gloriam vitam sanguinemque posuit; pulcherrimum videlicet mortis genus ducens, pro Deo ac caelesti veritate finire vitam! Sequitur AUGUSTUS, de quo dicendum mihi quoque esset, sed tanta hujus in Ecclesiam extant merita, ut cogitari simul omnia aut exponi fatis, ne quidem ab intelligentissimis eloquentissimisque possint. Debet huic Universitas haec restorationem: Promovit studia literarum & bonarum artium magnificentissime: Compescuit Ecclesiasticas contentiones plurimas

rimas: Autor fuit, ut aureus Christianæ Con-
cordiæ Liber in vulgus ederetur. Quid verò
de CHRISTIANIS I. & II. dicam? Constat
itidem de pietate illorum, & meritis erga Eccle-
siam Scholasq; Illustriora utiqve Nomina po-
steritati reliquissent, si Deo ita visum equidem
fuiſſet, diutiùs superstites ſervare eos. Refarſit
tamen omne hoc Divus **JOHANNES**
GEORGIUS I. in quo natura, quid ef-
ficere poſſet, videtur experta. Hic alter veluti
MAURITIUS pro Orthodoxia Lutherana
vindicanda quæ non molitus est? Quæ non tre-
menda & gessit ipſe, & expertus bella fuit?
Cùm enim eò eſſet deventum, uti Pontifex
non modò omnesque clauſtrorum greges in-
ſurgerent in Lutheranos, bonaque Eccleſiaſti-
ca armatâ vi repeterent; verùm etiam quicquid
Sceptrorum Potestatumq; per Europam uni-
verſam penè eminet, armis belloq; Papam adju-
tum iret, arma Piſſimus **PRINCIPUM** arri-
pere non dubitavit, incredibili virtute invictaq;
constantia dimicans pro Religione atque liber-
tate Christiana, quâ utrâq; majus ac potius in
rebus humanis non habemus. Ipſe intererat
bellis, ipſe inſtruebat acies, mentesque ac ani-
mos militum ſuorum præſentiâ inflammabat
ſua, quippe non ignorans, quantum ad Victori-
am facere ſoleret, ſi præſente Duce pugnent
milites, præſertim ubi paullò desperatior res vi-

D

dea-

deatur. Tulit hinc pietatis præmium, nec tandem hostibus succubuit : dignus, quem fama rerum vehat perpetuò, æternitas temporum celebret, parentes liberis, liberi posteris nar- rando tradant. Quantos enim labores, quantas vigilias, quantam industriam tem- pore belli pro incorrupta divini Verbi Or- thodoxia sustinuit, tantos etiam pacis im- pendit. Testantur id ipsum institutæ sæpiùs so- lennes supplicationes & preces publicæ, nunc ubi afflictis temporibus avertenda Dei indigna- tio & ira, modò cum benignitati illius pro sum- mis collatis beneficiis seculares canendæ laudes ac gratiæ essent. Totus quippe in eo erat sem- per piissimus ELECTOR, ut, quæ ad divinum promovendum cultum pertinerent, ageret as- siduè ! Huic Bona, Vitam, Libertatem, Reli- gionem salva, integra, inviolata post Deum u- nicè debemus. Erga exules & ob Religionem Orthodoxam extorres quàm benignus fuit, ? Academiae hujus quàm potens assertor, quàm munificus Meccenas extitit, ? Prædicant In- scriptiones Vestrae, PATRES ACADEMIÆ Conscripti, FRIDERICUM III. Acade- miæ hujus Inchoatorem ; JOHANNEM Conservatorem ; JOHANNEM FRIDE- RICUM Fundatorem ; MAURITIUM In- stauratorem ; AUGUSTUM Amplificatorẽ ; CHRISTIANUM I. Sustentatorem ; CHRISTIANUM II. Repurgatorem ; Si, quod

quod gratus animus postulat, exequi volumus, certè non poterimus non JOHANNIS GEORGI I. imagini hoc encomium adscribere: JOHANNES GEORGIUS MAGNUS STATOR LITERARUM: FELIX CONSERVATOR STUDIORUM: MUSARUM OMNIUM AC RELIGIONIS BENIGNUS PATRONUS, DEFENSOR INVICTUS: ALTER DENIQUE HUIUS ACADEMIÆ, SED MAJOR PRIORE, FUNDATOR PIUS, INSTAURATOR FELICISSIMUS ET AMPLIFICATOR BENIGNISSIMUS! Sed transeundum mihi etiam est ad Serenissimum ELECTOREM nostrum JOHANNEM GEORGIUM II. Habemus in hoc universi, quò gratulemur nobis perpetuò! Tanta enim, tanta illius etiam est pietas & amor erga Deum, ut, ubi incipiam, ubi desinam, non videam, non intelligam. Sunt, quos tonantis deæstri fulmina, quos Herculis furibundi clava, quos Martis fulminantis hasta, quos ferocientis Neptuni tridens suis formidabiles fecerunt: Nostrum hunc ELECTOREM pietas & erga Scholas Ecclesiasque religiosissimus animi affectus jam dudum OPTIMUM proclamârunt. Sed quid verbis opus, rerum ubi præstò documenta sunt? Quæ beneficia Academiæ huic exhibuerit, Vos, PATRES VENERANDI, ipsimet dicite. Præclarum & omni laude vehendum institutum est ELECTORIS nostri, quòd mittit, quiritus omnes ac ceremonias inspiciant, qui in Præfe-

etorum ac Sacerdotum vitam moresque inqui-
rant, quique ne polluantur Ecclesiasticæ leges,
commonefaciant. Testantur de fervore PRIN-
CIPIS crebrò indictæ hætenus dies pœniten-
tiales publicæ: Loqvetur de ELECTORE no-
stro Templum etiam Hanoviense novum, cu-
jus structuræ Anno M DC LVIII. die XXV.
Maji, secundis auspiciis magnificas inter cere-
monias, lapidem ad exemplum CONSTAN-
TINI M. posuit primum, & insigni liberalita-
te auxit. Qvis est, qui annis abhinc septem in
finibus Silesiorum haut procul ab agro Greif-
fenbergensi exstrui curavit Ædes sacras, quibus
Lutherani inter Pontificios degentes cultui di-
vino liberè vacare possent? Nonne JOHAN-
NES GEORGIUS II? Qvis est, qui Sacellum
aulicum Dresdense eâ, quæ jam apparet, mirâ
nitidissimâque venustate exornavit? Nonne
Augustissimus ELECTOR noster est? Quis
est, qui religiosum penetrabile illud (quod vulgò
nominant Capellam DUCUM) ubi pia FRI-
DERICI Bellicosi ossa sine dubio quiescunt,
evincente hoc monumento veteri, tanta pul-
chritudine reparavit? Nonne Serenissimus
ELECTOR est? Qvis est, qui Templum hoc,
quod descripturi sumus, exædificavit? Nonne
piissimus JOHANNES GEORGIUS II.
est? Quid igitur deinceps CONSTANTI-
NUM M. aut quid JUSTINIANUM admi-
rabimur magnoperè, quorû in exstruendis Tem-
plis

plis promptitudinem laudibus in coelum usque
extulerunt aliàs Scriptores? Possidemus in No-
stro, quodamifimus hac parte in **CONSTAN-**
TINO, in **JUSTINIANO**. Benè habet,
PATER PATRIÆ! tantum te favere pieta-
tis studio! Hæc, hæc inquam Virtus, præter-
quam quòd proximo nos gradu Deo immortali
jungat, Principes verè excelsos reddit. Quid
enim magis ad fastigii Tui gloriam, Serenissime
ELECTOR, facit, quàm pietatis literarum-
que studium florere quàm maximè? Fortuna
quidem ac opes potentiam ac formidinem Prin-
cipibus parit; Magnos & admirabiles sola ex-
cellentia animi, & cū Religionis studio conjun-
cta virtus facit. Hac si instructus Princeps
est, nulla deesse potest illi gloria. Est quippe
omnium Virtutum parens æqvè atque funda-
mentum. Bonum summum affecutos præ-
dicant Philosophi, qui Virtutum in supremo
gradu sibi habitum acqvisiverunt. Ille, ille mihi
verò hoc videtur nactus, qui pietate se nobili-
tavit posteris. Sed quorsum hæc tandem abi-
tura est Oratio? Quæ cū deprædicare Tem-
plum **MAURITIOBURGENSE** insti-
tuerit potissimùm, tota in **PRINCIPUM E-**
LECTORUMQUE SAXONICORUM
laudibus subsistit? Atenim nullus sinistrè mihi
interpretabitur, opinor, quòd tam multus fue-
rim in laudibus **OPTIMORUM PRIN-**
CIPUM.

E

An-

Annus agitur nunc duodecimus, quò ad ædificandam hancce Ædem splendidam animũ adpulit **MAXIMUS ELECTOR:** ne videlicet **ARCI MORIZBURGENSI** (quam animi causã frequentare assolet, non secus atque Conditor Augustus olim, qui nullibi majore oblectationis sensu, quam hinc, degebat) quidpiam deesse videretur, Anno **M DC LXI.** ipsis scilicet Kalendis Novembribus, Sanctorũ omnium memoriæ sacratis, Serenissimæ **ELECTRICIS** referentibus Natalem, manu ipse sua lapidem angularem posuit pro erigendo Tẽplo, adhibitò, cujus solertiã ingenioque tota hæc structura peracta, **KLENGELIO**, cujuscumque; in Architectonicis peritiam admiratur **DRESDA.** Nummus memorialis lapidi impositus ex una facie hanc exhibet Inscriptionem: **PRO FIDE ET PATRIA**, à dextro latere visuntur tabulæ apertæ: cerniturque ibi serpens æneus affixus pendulus, ex opposito imago Christi crucifixi. Assurgit in medio Pyramis, quam gladius interfecat & palma ad crucis formam, in cuspide craticulata galea incumbens scuto, cui nomen Conditoris **PRINCIPIS** incisum. Desuper adparet vigil oculus & supernè nomen **יהוה** radiatum; à dextra regione adscendentes habens literas **SUR SUM**, & à sinistra **DEORSUM.** Muniunt Pyramidem à læva parte gemini enses evaginati, crucis formam repræsentantes, quos amplectitur Corona superimpo-

imposita Electorali mitrâ. Ex altera hæc cer-
nitur Inscriptio:

NUMM. INAUGUR. IN. MEMOR. TEM-
PLI AD ARCEM MORITZBURG. INSTI-
TUTO SERENISS. D.D. JOHANNIS
GEORGII II. ELECT SAX. EXSTRUCTI.
CUJUS ET IPSA ELECTORIS MANU
LAPIDI ANGULARI IMPOSITUS
D. I. NOVEMB. A. M. DC. LXI.

Secundavit fabricam divinum Numen, ut coa-
ctis undiqve operariis selectioribus undecim
annorum spatio perficeretur. Externa, quæ o-
culos alliciunt visumque morantur, multa sunt,
interq; ea primò Templi nostri situs, qui nescio
utrum cum ipso ædificio, an illud cum hoc de
principatu certet? Quocunqve oculi vertun-
tur, læta omnia, omnia ad demulcendum apta
videbuntur. Illic mirificè rapit oculos mentes-
que hominum lætitia agrorum pratorumque
viridantium: isthic sylvarum virentium amœ-
nitas trahit animos ac detinet: hîc vivarium fe-
rarum copiâ celebre & jucundum: illic piscinæ
immensæ longitudinis afficiunt spectantes, &
ut unò verbò exprimam, tanta in locum unum
hunc natura beneficia congeffit, ut deprædica-
re nemo satis possit. Quæ & causa fuit, ut nul-
lò unquam silendus ævo MAURITIUS HE-
ROS Arcem conderet MAURITIOBUR-
GENSEM, ubi oculos animumque pascere,

negotiorum & curarum mole fatigatus, posset.

Fundamentum natura loco dedit petram, in extremo Arcis Septentrionem versus loco sitam. Adumbrat ratione hâc quodammodo Ecclesiam petrâ, i. e. invictô Christi dogmate, quod profitebatur Petrus, nixam, & mirum quantum à Pontificia discrepantem. Eidem petræ, quod mireris, fornix magna ex parte incisus est, in quo ornatus sacer atque peristromata, mirâ venustate & ingenti pretio, servantur. Apparet Templum ipsum formâ oblongâ (sesqui alteram, nî fallor, nominant) exactâ in longum, latum, & profundum harmonia. Sed quid in externa facie defixus hæreo? Accedamus ergò propiùs, quantaque hîc adpareat venustas, audire non pigeat. Ingredientibus se offert illud omnibus columnis fulcrisque destitutum: Solum Templi est è saxo quadrato: Parietes ex secto lapide, quem calx Babylonico bitumine tenacior conjungit, ut vix deprehendantur commissuræ, & faberrimi operis structuris constant. Par vitreorum orbium fenestrarumque, quibus illuminatur undique, superbia: Inferiores formâ quadratâ oblonga, superiores verò ovali gaudent. Arcus in fornice ex lapide artificiosissimè suspensio utrinque iusta proportione concurrentes in medio tegit pictura tam mirabili arte, forma ovali, & coloribus elegantissimis effigiata, ut omnibus sit admira-

tio-

tioni. Imagines enim quadruplici longitudine pictæ oculis adspicientium sese non nisi una seu simplice longitudine ingerunt, sistuntq; historiam ascendentis Servatoris Christi, quâ via Christianis ex hac Ecclesia militante in triumphantem panditur. Fornicatum opus rarum ac stupendæ artis. Altare tam insigne, tam admirandis illustre monumentis est, ut nil supra. Imago, quâ condecoratur, historiam Majestatis Jesu, & Spiritus Sancti symbolo columbæ adparentis exhibet, tantaque industria ac pulchritudine à Pictore celeberrimo Romano Stephano Cataneo facta, ut ad conspectum possis obstupescere. Circumdatur sex fulcris, duobus quadratis, quatuor teretibus, more Corinthiaco ex marmore confectis, tantò pretiò ingenioque, ut cum multis veterum columnis, quæ Romanam superbiam sustinuere hætenus, conferri possint. Reliquæ picturæ & sculpturæ, (Angeli itidem duo, palmæ ramum tenentes, inauratique in altari) tam affabrè confectæ, ut pulchriores nec Apelles, nec Lyfippus, nec Phydias reliquerint. In lapidis, cui altare innititur, anteriori parte sequens aureis literis Epigraphæ apparet:

I. G. II. S. I. C. E. M. D. E.
M. DC. LXXII.

i. e.

JOHAN-

JOHANNES GEORGIUS II.

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, ET
MONTIUM DUX ELECTOR.

ANNO M. DC. LXXII.

Sacrarium tam aptè decenterqve fabri factum,
ut in omnibus respondeat splendori ædium. Sug-
gestum & suggesto opposita structura in admi-
rationem rapit spectatores: tantò enim artificio
his superimposita ornatum Templi & instru-
menta Musica referentia opera illa sunt, ut ante-
ferantur his sculpturæ nullæ, paucæ pares pu-
tentur. Nec sua deest elegantia umbonibus.
E regione altaris egregiè paratus ELECTO-
RI umbo est, duobus Corinthio more fabrica-
tis innixus columnis, fenestris pellucetibus
ornatus, Dædaleis operibus, & quinque imagi-
nibus artificiosè pictis, e què divino codice peti-
tis, quarum in medio nomen JEHOVAH, &
super hoc Electoralis Ensis Infulaqve. Non pi-
gebit paulùm hîc subsistere, & tabulæ marmo-
reæ literis aureis insculptam oculiferio legere
Inscriptionem:

JOHANN. GEORG. II.

DUX SAX. JUL: CLIV: ET MONT.

SAC. ROM: IMP: ARCHIM: ET ELECT:

HAS ÆDES SACRAS IN HONOREM

NOMINIS DIVINI TUM SUÆ

POSTERORUMQVE PIETATI EXER-

CITANDÆ E FUNDAMENTO IN HANC

FORMAM EXTRUI CURAVIT. A. SAL.

M. DC. LXXII.

Reliqvi

Reliquiduo, alter pone aram Musicis, alter sub ELECTORIS umbone Principali satellitio destinati, semicirculi figuram eleganti harmoniâ efficiunt. Super januarum altera ultimi umbonis, per quas introitus patet, gladii Electorales, super altera fertum Rutaceum, & sub his Insignibus sequens cernitur Epigraphe:

קדוש
 קדוש קדוש יהוה
 צבאות :

Et utraque janua, ceu omnes totius Ædis, historiis sacris illustrata conspicitur. Tectum Templi fastigiatum: Turris ærumentorum toto ædificio conveniens medium occupat, formâ octangulari, colore argenteum imitante fulgida, Armenio lapide contacta, egregiæ altitudinis. Apici impositus Triton formam caudatam Cometæ exhibens. Campanæ modulatissimo consensu invicem conclamant.

Hic nunc moramini, & si placet, ipsi iudicate, annon Templi nostri dignitas incomparabilis dicenda videatur? Concurrunt enim universa, quæcunque in Basilicis Palatiisque admiramur: Ars & Magnificentia, ut pulchram, jucundam, concinnam, & iusta symmetria exactam fabricam intelligamus, efficit. Altitudo latitudini, latitudo longitudini, & hæc utrique mirâ ac justâ proportionem convenit. Non igitur abripiat Vos, AUDITORES O. O. H. vel

Sophianum illud Constantinopolitanum, vel
Ephesinum Dianæ, vel Ægyptiacum Serapidis,
aut Pantheum Romanum, aut Hispanicum,
Escuriale, aut Marianum Parisiense, & si quod
aliud famam sui quantamcunque meruit, no-
strum in multis si non par, affine tamen pro re-
rum, temporum, ac hominum fortuna videat-
ur. Unô, cuius in gratiam omnes ædes sacræ
confergere debent, illis universis antecellit, ge-
nuinâ scilicet Numinis æterni gloriâ. Nec enim
Templum dicitur, cuius Deus nullus nisi fictus
aut superstitionibus corruptus; nec dignam mi-
raculo molem arbitramur, ubi vel idolomania,
vel absurdus verboque divino adversus cultus
specie aliquâ pietatis fervet. Quibus cunctis
quantum hoc loco à puritate Evangelicæ do-
ctrinæ formatus Numinis cultus antistat, me
vel tacente satis equeidem apparet. Et hæc,
hæc inquam, causa est, **AUDITORES**, quod
Serenissimus **ELECTOR** noster hoc ipsô die,
ante elapsi anni spatium pro ea, quâ semper in
Deum fuit pietate, non gentilium, non Pontifi-
ciorum imitaretur morem, qui nescio quas in-
eptias, quos ludicros ritûs in inaugurandis Ædi-
bus sacris adhibere solent, sed piis & Christianis
ceremoniis uteretur. Ingenti quippe Aulico-
rum numerô & pompa Sacra in Templo pera-
gebantur, preces piæ fundebantur, & in **DEI**
honorem omnia fidium & organorum concen-
tibus

tibus personabant. Salomonis ad exemplum, quem mole Templi Hierosolymitani absolutâ in genua procubuisse, & sublatis in cœlum manibus precibus DEO œdem consecrâsse, sacræ literæ memorant. Sed ne abutar Vestra, **AUDITORES** Honoratissimi, benevolentia, quam mihi concessistis, contraham nunc vela mea, portum respecturus. Ante autem, quàm hinc pedem moveam, voce supplici imploro immortale Numen, ut, quæ colligetur **MAURITIOBURGI** Ecclesia, comendatissimum ejus statum sibi habeat, & undiquaq; sic emuniat ac firmet, ut sua felicitas immota ipsi ac indelibata constet, lætissimisqve incrementis jugi floreat tenore, & sub **RUTA SEMPER-AUGUSTALI** auctibus pulcherrimis virescat! Tandem etiam æternum rerum Satorẽ **DEUM** prece devotissima obtestor venerorq;, **DIGNETUR HANC ELECTORALI DOMUI SAXONICÆ ÆTERNAM ASSERVARE GLORIAM, UT, QVOD FASSUS OLIM LEO PONTIFEX AD FRIDERICUM ELECTOREM SUO QVIDEM SENSU FUIT: INTER ALIA SAXONICÆ DOMUS ORNAMENTA PROPRIUM HOC ILLI SEMPER HACTENUS FUISSE, QVOD RELIGIONIS OBSERVANTISSIMA HABERETUR; PRO ORTHODOXIÆ LUTHERANÆ INCREMENTO ET STABILIMENTO IN TE, DOMINE, ET SUCCESSORIBUS ÆTERNA GLORIA PERENNET! ITA FLOREAS, ITA VI-**

G GEAS

8

GEAS CUM UNIVERSA ELECTORALI ET DU-
CALI FAMILIA SAXONICA, CELSISSIME
SACR. IMPER. ROMAN. PATRIÆQVE
ATLAS, UNIVERSORUM DENIQUE
AC MEÆ ETIAM SALUTIS TUTOR
OPTIME MAXIMEQVE.

D I X I.



Rem



Rem plausu dignam præstas, dum PRINCIPIS æthræ
Igne calens pectus concelebrare studes.
Scilicet ex variis alii sibi nomina quærant;
Qui sacra Tempia struit, noscitur esse PIUS.
Hoc titulo ELECTOR laudes supereminet omnes:
Ante homines Magnus; Major at ante DEUM.

In gratiam Optimæ spei Juvenis
L. M. Q. appof.

JOHANNES ANDREAS QUENSTEDT D.

Amicissime DN. HAHNI;

Verbis opus nullis, rerum ubi præstò testimonia sunt. Pro-
ducent ea tamen, quibus plus relictum otii ad amplifican-
dum ingenii, memoriae ac dicendi artium encomia, quæis publi-
cote nuper commendasti. Me domesticum vocarent testem, si, quâ
Svadâ, quâ presentiâ animi, et aetate vix ingressus juvenilem,
declamaveris pro cathedrâ, extollerem prolixius. Id operæ er-
gomibi breviter nunc sumam, ut nobilitatem argumenti tui
comprobem assensu. Quæ Deo similem Principem efficiant, ut e-
numerari multa possunt, sic divinitatis ejus nullum manifestius
indicium est, quàm si castum illibatumque cultum Numinis pro-
moveat religiosè. Hæc nempe PATRI PATRIÆ infixæ cura
sedit, ut delicias Secesûs Principalis MAURITIOBURGEN-
SIS augustiores redderet magnificâ structurâ sacris ritibus in-
auguratâ. Non poterat divinius moliri opus & illustramentum
gloriæ OCTOVIR Serenissimus. Non poteras tu documento
certiore pietatis simul & industriae mereri punctum, HAHNI,
quàm præsentis themate. Deum supplex veneror quæsoque, ut
hanc propriam perpetuamque laudem Domui ELECTO-

G 2

RA-

RALI servet. Tibi verò successus porrò studiorum prosperos, & incrementa fame ac honorum apprecor. V. Scrib. τάχις ἐ μυσέο μεο, prid. Eid. Sextil. Ao. 1673.

T. omni studio & affectu
G. C. KIRCHMAJERUS, P. P.



Ad eruditissimum Juvenem,
JOHANNEM GEORGIUM HAHNIUM,
DRESDENSEM,

Cùm dictam ab se Orationem de Ædis MAURITIOBURGENSIS consecratione vulgaret.

DUm aliorum exponis oculis, quæ nuper eleganti ac comtâ dictione inter medios applaudentium Ordines recitabas, HAHNI politissime, non magis ingenium doctrinamque tuam, quàm pietatem prodis. Argumentum Orationis Tibi pietas PRINCIPIS in Deum. Eadem aliis tuæ in PRINCIPEM pietatis argumentum. In quo ita versabaris, nemo ut esset, quin delectaretur audiendo, faustisq; omnibus prosequeretur dicentem. Perge, quod facis, implere Parentis Patriæque de te conceptas spes & vota, ac pietatis & industriæ præmia expecta. Ego quidem DEUM veneror, ut egregios conatus tuos in Ecclesiæ Reique literariæ decus provehat. VVittebergæ è Museo, V. Idûs Sextil. clō Iōc LXXIII.

SAM. BENEDICTUS CARPZOVIVS, P. P.

TUm demum nostram nobiliter locamus industriam, si, quò privatim illa sit decora, & publicè fructuosa, annitimur. Quod quàm Tu, Politissime HAHNI, omni ex parte observaveris, loquitur hæc non inelegans Oratio Tua, plena pietatis, ac devotissimæ venerationis in SERENISSIMUM PATRIÆ PATREM, qui Musis nostris hæc otia fecit. Tametsi enim operæ redundantis videatur, juvenili sermone digredi in laudes SUMMI PRINCIPIS, MAXIMIQUE ELECTORUM, & excellentissimarum virtutum elogia, quibus terrarum orbem in admirationem sui dudum rapuit, contexere, affectus tamen precium habet, ac publicè interest, res Augustissimorum Principum gloriosè gestas in omnium

um

um vigere animis, omnium lingvis personare. Quod si hanc iis pro gravissimis curis, quibus pro communi egregio excubant perpetim, non redderemus vicem, moriendum esset ingratis. Hæc sunt illa magnifica templa, illæ pulcherrimæ effigies ac mansuræ in animis nostris, quas pluris æstimat AUGUSTUS NOSTER, quàm quæ saxo struuntur. Nam cum in eo actionum suarum constituerit summam, videre, ut sua religioni perstet integritas, nec quidquam cedere consummatissimæ MAJORUM pietati, non potest non magnam ab IPSO inire gratiam, qui, quæ licet, publicè testatum facit, quanto sibi ac bonis omnibus in pretio sit, divinum hoc RELIGIOSISSIMI PRINCIPIS institutum. Quo nomine impensè Tibi gratulor, Eruditissime HAHNI, qui unâ operâ pietatis Tuæ & singularis eruditionis non vulgare dedisti specimen, DEUMQVE veneror, ut ab illis bonarum rerum seminibus, quæ eximium ingenium Tuum, velut fœcundus complectitur ager, opima olim Patriæ messis exurgat. Vale. Defestinab. in Muséo, ad d. XVII. Julii, A. R. G. c1o Ioc LXXIII.

Tuus

ex animo

CHRISTIANUS Kœhrenscher

Phil. Pract. Prof. Publ.

Ad doctissimum Juvenem,

DN. JOHANNEM GEORGIUM HAHNIUM,

CONRAD SAMUEL SCHURTZFLEISCH.

Qvod cum exercendo stylo tum erga PRINCIPEM declarandæ pietati sumfisti argumentum, afficere probum quemque potest & delectare: hos etiam confirmare plurimum, qui de TE hucusque sperant rectè, & cupiunt, ut in liberalis doctrinæ studio atque assiduitate perseveres. Ea verò mihi cum aliis communis expectatio est, quòd ad dotes, quas ab natura elegantes cumulatissimasque habes, harum quoque literarum ornamenta adjunxeris, quibus & loqui emendatè, & dicere copiosè possis. In quo genere si pergas quotidie, procedasque longiùs semper, non tantum majorem laudis materiam quæres, sed & pleno gradu paucis annis pervenies ad metam. Quod ut consequendum tibi proponas rectè, hortor, & ut usu probes feliciter, opto, ac meæ simul consuetudinis memorem te esse volo. Ex museo VVitteb. XIV. Quinctil. A c1o Ioc LXXIII.

H

Non

NOn, HAHNI Perdocte, Tuam prolixius ire
In Laudem, aut multis TE celebrare juvat.
Nec verbis opus est. Pietas TE candida cunctis
In PATRIÆ PATREM, Svadaq; docta probant.
Perge modo: Probitas quem nobilis armat, & ornat
Ars, illi Princeps & Deus ipse favet.

gratulab. scrib.

CHRISTIANUS DONATI,

Log. & Metaph. Prof. Extr.

Virtus ad astra ducit omnis, ac manet
Nos præmium, quamcunque strenui probò
Sectemur ausu. Nulla cultores suos
Fallit. Magistratus tamen colens amor
Et cultus observans DUCUM primas tenet.
Hæc illa Virtus, quæ Deos placat, sibi
Regum favores quærit, & se proximos
Thronis soli polique novit reddere.
Est evhendus ergo conatus Tuus,
HAHNI Polite, laude plurimâ, piò
Quòd ore, mentis sanctioris indice,
Devota corda, quæ stupet mundus, beat
Coelum, atque Divam Gloriam, quâ singulos
Excellit, Almi PATRIÆ PATRIS fones.
Nam civis impleas sic boni munus, Decus
Sic Nomini TUO, TIBI sic gratiam
SEPTEMVIRI, quod gratulamur, comparas.

Consalino suo suavissimo
grat. fac.

DN. KIRCHMAJERI P.P.

COMMENSALES.

Moliris,

MOliris, HAHNI, magna. Nec omnibus
 Indulget Æther, ceu TIBI, scandere
 Tali suos gressu meatûs,
 Adq; Thronos penetrare REGUM.
 Sermone doctô STEMMATA SAXONUM,
 Sanctis DEORUM proxima Sedibus,
 Refers, & HORUM digna Cœlo
 Facta gravi revereris ore.
 Et tendis ultra. Sunt pietas Bonis
 Miranda cunctis, sunt amor in Sacra,
 Qvêis NOSTER HEROS ad stuporem
 Qvosqve supergraditur, canenda.
 Ad Tempa ducit Spiritus igneus
 Encomiasten TE, radiantia
 MORIZOBURGI, qvæ JEHOVÆ
 DUX PIUS officio sacra vit.
 En! tanta dicis. Nec tamen omine
 Dicis finistrô. Relligio Tua
 In PATRIÆ PATREM, Favorqve
 PRINCIPIS hos animare nisûs.
 Qvin & seqvetur Gratia largiûs
 Promissa. Constans perge modò, VIRIS
 Ut rite (Nam laus illa prima est)
 PRINCIPIBUS placuisse possis.

Hicce

*Florentissimo DN. AUTORI, Contubernali suo
 Fautorique suavissimè colendo gratulabundus
 assurgit*

M. ANDREAS GERET,
 Onoldô - Francus.

H 2

HAHNI,

HAHNI, cui facilis finxit præcordia Titan
 De meliore luto, & de nobiliore metallo
 Formavit mores, præclarum in nomen ituro,
 Dum PIETATE PATRIS PATRIÆ surgentia Templi
 Atria miraris, veneraris, laude celebras;
 Grande quidem moliris opus, sed quod numerosa
 Laus manet, & vigilis semper præconia famæ.
 Crede, parata Tuis AUGUSTO JUDICE merces
 Est studiis. Sequitur sementes uvida mesfis.
 Gratulor hos ausûs, quique hos comitantur honores:
FAUTOREM AUGUSTUM, venturaque gaudia Patris,
 Laudes, & Famam; vigilis stipendia curæ.

Hoc, quicquid est,

Præstantissimo Politissimoq; DN. AUTORI,

*Amico pariter ac Fautori suo adponere voluit,
debut,*

G. A. P.



25. 2097. 70

ULB Halle 3
004 826 612



VD 77

M. L.



ORATIO

INAU
S. Æ

TIONE
AURI.



IPSO INA
DIVO

IS DIE, QVI
R ERAT,

JOHAN

O *Gahnen!*



Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr. +

